

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Decimus Septimus De Bonis Operibus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

256 Part. II. Art. XVII.

portaturi simus finem fidei nostræ, salutem animarum, 2 Cor. V, 7. 1 Petr. I, 9.

ARTICVLVS DECIMVS SEPTIMVS

DE

BONIS OPERIBVS.

§. I.

Quo pacto hic articulus cum antecedente connectitur? **Q**uum veram pœnitentiam fructus se- qui necesse sit, sicut Ioannes præcipit Matth. III, 8. et fides, si opera non habeat, mortua sit per se, Iac. II, 17. siquidem in Christo Iesu haud alia fides quidquam valet, quam quæ per caritatem agit; Gal. V, 6. manifestum omnino est, ordinis diuini, quo homini ad æternam vitam aditus suppetit, partem necessariam et arduam esse *bonorum operum exercitium*. Vnde post consideraram pœnitentiæ ac fidei doctrinam de bonis etiam operibus momenta maxime necessaria ex verbo Dei in hoc articulo proponenda sunt.

§. II.

Quis omnium bonorum operum causa principalis? *Causa principalis* omnium bonorum operum est ipse Deus triunus, qui solus bonus est, et pro natura et indole sua nihil, nisi quod bonum est, creare et operari potest, Matth. XIX, 17. Iac. I, 17. Vnde et ipsum velle, et ipsum agere bonum Dei in nobis et per nos opus est, Phil. II, 13. et gratia, 2 Cor. VIII, 1. 2. 16. 1 Paral. XXX, 14. 16. 18.

Spe-

Speciatim *Pater* est, qui homines in Christo Iesu condit ad bona opera, eosque præparat, vt in eis versentur, Eph. II, 10. qui in eis etiam efficit, quod gratum est in conspectu suo, eosque hac ratione componit ad omne opus bonum, Hebr. XIII, 20. 21. in eoque confirmat, 2 Theff. II, 17. *Christus* non solum vires ad faciendum bonum adquisiuit nobis, Tit. II, 14. sed etiam vera vites est, quæ cum palmitibus suis succum illum vitalem communicat, ex quo fructibus iustitiæ repleri possunt, Io. XV, 4. 5. 16. Phil. I, 11. *Spiritus sanctus* non minus ad bona opera impellit, Rom. VIII, 14. quæ hinc fructus Spiritus vocantur, Gal. V, 22. Eph. V, 9.

§. III.

Medium, per quod Deus in nobis bona opera efficit, est *sanctum* ipsius *verbum*, sicut totius sacræ scripturæ finis is est, vt compositus sit diuinus homo, ad omne recte factum bene comparatus, 2 Tim. III, 17. *Lex* quidem speciatim ea opera nobis proponit, quæ Deus a nobis exigit, et quæ ipsi placent, 1 Tim. I, 5. Ex *euangelio* autem vires profiscuntur ad ea efficienda, quippe quod fidem operatur, per quam lex in nobis stabilitur, et ex qua omnia bona opera fluunt, Rom. X, 17. III, 31. 2 Petr. I, 5. 7. *Bona* etiam *exempla* fidelium Deus sæpius eo prodesse iubet, vt alii ad bonorum operum studium illis adliciantur et excitentur, Matth.

Per quodnam medium Deus bona opera efficit?

V, 16. 2 Cor. VIII, 1. IX, 2. Huc etiam spectant, quæ de mediis renouationis et sanctificationis supra Part. II. Art. IX. diximus.

§. IV.

Quinam
sunt, in
quibus
Deus bo-
num ope-
ratur?

Hominēs, in quibus, et per quos bonā opera efficiuntur, non sunt alii, quam qui per fidem in Christum regeniti et iustificati, siue σωσμένοι, salutem consequuti sunt, Eph. II, 8-10. Tit. III, 8. Io. XV, 16. Ps. I, 3. Matth. XII, 33. cuius salutis, per fidem iam heic acceptæ, fructus et testimonia sunt bona opera, ita ut sine illis homo tamquam adhuc mortuus in peccatis et captiuus in regno diaboli spectandus et existimandus sit, Eph. II, 1-3. Rom. VIII, 7. Quæcumque igitur homo, in veteri natiuitate constitutus, ex eadem profert, etiamsi boni et virtutis speciem habeant, non tamen vere bonorum operum notionem habent, sed mortua opera sunt, quia in illis non inest vita fidei et spiritus, siquidem τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, carnis adfectio, quæ inimicitia est aduersus Deum, ea parit et operatur, Matth. XII, 33. Hebr. IX, 14. Rom. VIII, 6. 7. XIV, 23.
LUTHERVS Conc. de libertate christiana, Tom. I. Ienens. latin. fol. 440. a. (Tom. I. Alt. fol. 364. a.) „Vera itaque sunt hæc duo verba:
 „Bona opera non faciunt bonum virum, sed
 „bonus vir facit bona opera; mala opera non
 „faciunt malum virum, sed malus vir facit
 „mala opera. Ita ut semper oporteat ipsam
 „sub-

„substantiam seu personam bonam esse ante
 „omnia bona opera, et bona opera sequi et
 „prouenire ex bona persona. Sicut et Christus
 „dicit Matth. VII, 18: Mala arbor non facit
 „bonos fructus, bona arbor non facit malos
 „fructus. Clarum autem est, quod fructus non
 „ferunt arborem, nec arbor crescit in fructi-
 „bus; sed e diuerso arbores ferunt fructus,
 „fructus crescunt in arboribus. Vt ergo necesse
 „est, arbores esse priores fructibus suis, et
 „fructus non faciunt arbores, neque bonas, ne-
 „que malas, sed e contra arbores tales faciunt
 „tales fructus; ita necesse est, primum perso-
 „nam ipsam hominis esse bonam vel malam,
 „antequam faciat bonum vel malum opus, et
 „opera sua non faciunt eum malum aut bonum,
 „sed ipse facit opera sua aut mala aut bona.,

§. V.

Ad naturam igitur et indolem bonorum Quid ad
 operum requiritur, ut ex καὶ νότος πνεύμα- naturam
 tos, e nouitate spiritus, proficiantur, Rom. et indo-
 VII, 6. siue ex diuina natura, 2 Petr. I, 4. lem bo-
 quam Deus in regeneratione producit, ex norum
 lege diuina, in carneis animi tabulis descripta, operum
 Ier. XXXI, 33. Ezech. XXXVI, 26. 27. 2 Cor. requiri-
 III, 3. hoc est, ex spirituali delectatione et tur?
 interna cupiditate eorum omnium, quæ in
 lege sua præcepit Deus, 1 Io. V, 3. prout ea
 ex gustatione amoris Dei et Christi erga nos
 accenditur, Ps. CXIX, 32. 88. 117. Rom. V, 5.
 1 Io. IV, 11. 16. 19. Quæ omnia sunt arbor

R 2

illa

illa bona, in nobis serenda, si fructum eius
 bonum esse cupiamus, Matth. XII, 33. Io.
 XV, 16. *fons aquæ*, salientis in vitam æter-
 nam, Io. IV, 14. *venter*, ex quo fluunt peren-
 nis vitæ flumina, Io. VII, 38. *lux*, coram
 hominibus lucens in recte factis, Matth. V,
 16. Phil. II, 15. *LV THERVS* in Io. XV,
 Tom. VII. Alt. fol. 148. b. „*Quare nihil mo-*
 „*menti id habet, si quis ex eo ferat iudicium,*
 „*quænam opera fiant, sed ex quonam princi-*
 „*pio fiant. Nihil refert facere magnum aut*
 „*paruum, multum aut parum, sed fontis et*
 „*scaturiginis habenda est ratio, unde fluant.*
 „*Hac in re, quid inter Christianorum et reli-*
 „*quorum hominum omnium vitam et opera*
 „*inter sit, distinguitur.*” Ibid. fol. 146. a.
 „*Quando baptizor aut per euangelium ad fru-*
 „*gem reuocor, Spiritus sanctus adest, qui me*
 „*velut massam adsumit, nouumque hominem*
 „*ex me condit, qui aliam nunc mentem, alium*
 „*animum, alias cogitationes accipit, nimirum*
 „*veram cognitionem Dei, veramque gratiæ di-*
 „*vinæ fiduciam. Ut summam dicam, internus*
 „*cordis mei fundus renouatur et mutatur, ut*
 „*nouus plane palme euadam, viti Christo insi-*
 „*tus, ex eoque natus. Mea enim sanctitas, iu-*
 „*stitia et puritas non ex me nascitur, nec in me*
 „*subsistit, sed ex solo Christo, et in solo Christo*
 „*est, in quo radicans sum et fundatus per fi-*
 „*dem, sicut succus ex vite in palmites transit.*
 „*Et ipse iam similis et indolem eius nactus*
 „*sum*

„sum, ut in eo et per eum fructus feram, qui
 „non mei, sed ipsius vitis sunt. Ut adeo homo
 „christianus veros fructus ferre possit non Ada-
 „mi, nec suos ipsius, sed Christi. Quod enim
 „baptizat, concionatur, solatur, hortatur, ope-
 „ratur et patitur, hoc facit non ut homo ab
 „Adamo progenitus, sed Christus in ipso, ita ut
 „os et lingua, qua verbum Dei tractat vel con-
 „fiteatur, non ipsius, sed Christi os et lingua sit;
 „manus, qua operatur aliisque opitulatur, non
 „eius, sed Christi manus et membrum sit, qui
 „in illo est, et ipse in Christo. Hoc est, quod
 „Dominus dicit: Qui in me manet, et ego in
 „eo, cetera; ut significet, hanc esse christia-
 „nismi indolem, ut non sit extrinsecus illatus,
 „aut instar vestimenti indutus, nec velut nouus
 „mos modusque adsumtus, qui in operibus vi-
 „geat, uti monachismus et fictitia sanctitas, sed
 „ita, ut hominem esse oporteat per Spiritum et
 „verbum Dei regentum et in intimo animi ad-
 „fectu transformatum. Deinde vero, animo
 „per Christum sic regenito, fructus etiam con-
 „sequuntur, confessio euangelii, opera caritatis,
 „obedientia, patientia, castitas, cetera. Vnde
 sequitur, omnia bona opera a fidelibus, qua-
 tenus regeniti sunt, sine coactione, sed spiri-
 tu spontaneo fieri, Ps. LI, 14. CX, 3. CXIX,
 56. 57. 77. collat. Ps. XXXII, 9. 1 Tim. I, 9.
 (utpote qui ἐκ καρδίας, ex animo parent ei
 doctrinae rationi, in quam sunt traditi, Rom.
 VI, 17. XV, 26. 27. 2 Cor. VIII, 3. II, 17.

IX, 7.) adeoque ab operibus, externam tantum boni et recti speciem habentibus, et ex sola coactione legis, (quum quis ei vel ex feruili mercedis inuitu, vel formidine pœnæ et iræ diuinæ, aliquo modo obedit,) oriundis, distingui debere, Matth. VI, 1-5. Rom. XIII, 5. Eph. VI, 6. 2 Cor. IX, 7. 1 Petr. V, 2. Luc. XV, 29. Sunt autem bona opera vel *interna*, vel *externa*. Per *ista* intelliguntur effectæ a Spiritu diuino internæ virtutes, secundum viramque decalogi tabulam, quo omnes Eph. V, 9. Gal. V, 22. et 2 Petr. I, 5-6. recensiti fructus Spiritus referendi sunt. *Hæc* autem in eo posita sunt, quando internæ virtutes per externa verba et facta sese produnt, Matth. V, 16. Phil. II, 15. 1 Petr. II, 12. neque enim vllum externum opus bonum est, nisi ex intimo animi adfectu, siue ex fide et caritate, profiscatur, Rom. XIV, 23. Vnde etiam omnia opera, si vere bona dicenda sunt, *in verbo Dei* mediate vel immediate *mandata* esse, Ps. CXIX, 9. 105. Deut. IV, 2. nec in ἐθελοθρηνησίᾳ, vel solo bonæ nostræ opinionis arbitrio fieri oportet, Matth. XV, 9. Col. II, 18. Nec minus necesse est, non honorem proprium, Phil. II, 3. Matth. VI, 1. sq. XXIII, 5. Eph. VI, 6. vel meritum, Luc. XVII, 10. sed *gloriam Dei*, Matth. V, 16. 1 Petr. II, 12. 1 Cor. X, 31. et *aliorum* hominum spiritualem et corporalem *salutem* sibi propositam habere, Phil. II, 4. Ceterum
Deus

Deus filiis suis infirmitates, bonis eorum operibus ex carne adhærentes, propter Christum non imputat; Rom. VIII, 1. veniam earum ab ipso per Filium suum non tantum petentibus, Ps. XIX, 13. sed illius etiam virtute contra illas decertantibus, ab iisque magis magisque se purgantibus, 2 Cor. VII, 1. *LUTHERVS* in Io. XV. Tom. VII. Alt. fol. 143. b. „*Quum sit palmes in vite radicans,*
 „*huiusque liquor et virtus in eo maneat, fru-*
 „*ctus etiam illius boni sint maneatque opor-*
 „*tet, vermiculorum licet morsu nonnumquam*
 „*arrosi aut ab erucis aliisque insectis infestati.*
 „*Pari modo quum homo in Christo maneat, ab*
 „*eoque succum et virtutem accipiat retineatque*
 „*per fidem, vt Christus virtute sua et Spiritus*
 „*sancti donis in eo operetur, residua infirmi-*
 „*tas, a diabolo et vitiosa natura excitata, illi*
 „*non nocet, ea tamen lege, vt perpetuo fidei*
 „*certamine contra eam pugnet istamque col-*
 „*luuiem expurget.*”

§. VI.

De necessitate exercitii bonorum operum De neces-
 notandum est, non requiri illud ad prome- sitate ex-
 rendam veniam peccatorum aut salutem, exercitii bo-
 (vid. §. V.) quæ Dei beneficium est, Rom. VI, norum
 23. et a Christo acquisita, Rom. III, 24. vti quid no-
 nec bene operari possunt vlli, nisi *συνωμείνοι*, tandum?
 gratia iam seruati; Eph. II, 8. 9. vid. §. IV.
 sed quia cædus nouum, Ier. XXXI, 33. Hebr.
 VIII, 10. speciatim redemptio Christi, Tit. II,

14. et regeneratio ac renouatio Spiritus sancti bona opera non tantum requirunt, sed hæc in fidelium animis hinc per se fluunt, vid. §. V. et quia sine illo exercitio et per mala opera fides vitæque spiritualis exstinguitur, et Spiritus sanctus tristitia adficitur atque amittitur, 1 Tim. VI, 10. Eph. IV, 30. Sap. I, 5.

§. VII.

Num bona opera præmia habent?

Licet bona opera non sint meritoria, et vita sempiterna per se beneficium Dei maneat; Deus tamen vel immediate, vel mediate, nimirum ministerio vtens rerum creatarum, Hof. II, 21. 22. omnia fidelium opera bona, etiam quod ad externam speciem exigua et occulta, Matth. VI, 6. X, 42. *præmiis adficit*, Ies. III, 10. Mal. III, 16-18. Hebr. VI, 10. X, 35. XI, 6. Matth. V, 3-10. non ex debito, sed *ex gratia et promisso*, Rom. XI, 35. Ier. XXXII, 41. Hebr. VI, 10. (ad mensuram tamen operum, dum alii parcius, alii largius ferunt, adeoque alii parcius, alii largius metunt, Luc. VI, 38. 2 Cor. IX, 6. 1 Cor. III, 8.) et quidem præmiis *temporalibus*, Pf. LXXXI, 14-17. Matth. VI, 33. 1 Tim. IV, 8. *spiritualibus*, Ies. LVIII, 7. 8. Matth. XIII, 12. XXV, 28. 29. Io. XIV, 21. 2 Cor. IX, 8. 11. et *æternis*, 1 Tim. IV, 8. VI, 18. Rom. II, 7. 2 Cor. V, 10. Gal. VI, 8. 9. *LUTHERUS* in Io. XV. Tom. VII. Alt. fol. 143. b. „*Sic vniuscuiusque Christiani opera comparata sunt, ut æternum Deo placeant, numquam repudianda, uti alienorum a Christo hominum*“

num

num opera, sed in futura etiam vita eternum
 premium habitura, quia in Christo sunt, et
 ex illa vite enascuntur. Quod ut fideles
 ad studium, in bonorum operum exercitio
 ponendum, excitat, 2 Cor. VII, 1. 1 Cor.
 XV, 58. ita ab huius sæculi hominibus, si non
 ore, certe ipso facto negatur, Mal. III, 14 Sap.
 II, 22. V, 2. Ceterum in bonorum operum
 exercitio constantia requiritur, Gal. VI, 8. 9.
 1 Theff. V, 15. 2 Theff. III, 13. si nolumus
 perdere, quod elaborauimus, sed mercedem
 plenam accipere cupiamus, 2 Io. com. 8.
 Ezech. XVIII, 24. Malefici autem, in primis
 qui sub specie boni malum sunt operati,
 velut arbores tetrae et infructuosae in ignem
 iniiciuntur, Matth. III, 10. VII, 19. 21-23.
 XXIII, 14. et interitum metent, Gal. VI, 8.

§. VIII.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) finire conscientiam nostram in ordine veræ pœnitentiæ ac fidei per sanguinem Christi et Spiritum ipsius purgari, et ad bona opera idoneam reddi, Hebr. IX, 14. hanc doctrinam? (2) vires gratiæ in regeneratione acceptas ad bonorum operum exercitium fideliter adhibere, eoque ipso fidem nostram exercere et ostendere, 2 Petr. I, 4. seq. Iac. II, 14. seq. (3) filiali animo diuinas promissiones de præmiis bonorum operum spectare, ut hoc ipso studium bonorum operum in nobis excitemus et acuamus, 1 Cor. XV, 58. 2 Cor. VII, 1.

R 5

Hebr.

Hebr. XI, 25. 26. vid. §. VIII. (4) operam dare, ut multos iustitiæ fructus ferendo cælestem Patrem illustremus, Io. XV, 8. illis repleamur, Phil. I, 11. adeoque bonis operibus direscamus, 1 Tim. VI, 18. Marc. IV, 20. (5) eo etiam contendere, ut in bonis operibus magis magisque proficiamus et abundemus, et hunc in finem abnegationem nostri et cordium nostrorum expurgationem constanter et perpetuo continuare, 2 Tim. II, 21. (6) videre, ut alii alios ad caritatem et bona opera tum voce, tum bono exemplo prouocemus, Hebr. X, 24. Matth. V, 16. (7) non desitisci aut segnescere recte faciendo, ut mercedem plenam accipiamus, 2 Io. com. 8. Vid. §. VII.

§. IX.

Quod-
nam fide-
lium sola-
tium?

Solatum filiorum Dei ex hac doctrina est, (1) quod Deus pro sua beneuolentia in ipsis velit efficere, ut et velint et efficiant, ipsosque adeo componere ad omne opus bonum, vid. §. II. (2) Quod ex bonis operibus, tamquam criteriis et fructibus, de sua regeneratione, iustificatione, vnione cum Deo, eiusque plena gratiæ inhabitatione certi esse possint, 1 Io. III, 19. 20. Io. III, 21. Vid. supra §. IV. V. (3) Quod Deus adhaerentes operibus ipsorum nauos ipsis non imputare, sed magis magisque ab illis eos expurgare velit, Io. XV, 2. Mal. III, 3. (4) Quod in bonorum operum exercitio vires fidei non im-

imminuantur, sed magis magisque ita confirmantur, ut yberiores semper et pleniores fructus ferre possint, Io. XV, 2. 2 Petr. I, 8.

(5) Quod recte faciendo amentium hominum ignorantiam optime et efficacissime confutare et compescere, atque hac ratione eos ad resipiscentiam sui que imitationem excitare possint, 1 Petr. II, 15. *LUTHERUS* Comment. ad Gal. III. Tom. V. Witteb. fol. 364. b. (Tom. VI. Alt. fol. 737. a.) „*Quis enim, vel unius operis, quod Christianus ex fide in fide facit, utilitatem et fructum satis predicare potest? Est enim pretiosius, quam calum, et terra. Ideo neque totus mundus in hac vita potest dignam mercedem reddere vel pro uno tali bono opere. Neque mundus hanc gratiam habet, ut bona opera piorum magnificet, multo minus compenset, quia ea non cernit, aut, si cernit, non bona opera, sed pessima malefacta esse iudicat, et eos, qui talia faciunt, tamquam nocentissimas generi humano pestes e mundo exturbat.*„ (6) Quod nemo ipsos lædere possit, si bonitatis imitatores sint, 1 Petr. III, 13. Rom. VIII, 28. et quod contra ea (7) Deus omnibus recte factis in Christo delectetur, Hebr. XIII, 16. 2 I. 1 Petr. II, 5. eaque aliquando patefacere et prædicare, Matth. VI, 6. XXV, 35. 36. 2 Cor. V, 10. et tum in hoc mundo temporalibus et spiritualibus, tum maxime in cælo æternis præmiis adficere et decorare velit. Vid. supra §. VII.

ARTI-